

prospere fortuna certum fieri nequeat iudicium; uti disertè cavet M. Albertus in specul. Astronom. cap. 12. & quidem, cum parcum ac solum iudicium, quod de conceptæ prolis horoscopo fieri potest, multa perturbent, haud efficax ex cælestibus aspectibus, & motibus argumentum poterit institui, quod conceptæ prolis nativas explicat propensiones: præsertim cum Sanctus Thomas in eo Opusc. de Fato cap. 4. loquens de ea Astronomiæ parte, quæ est de effectibus astrorum in inferioribus, quæ in rebus mutabiliter recipiuntur, statuatur, ad hanc non perveniri, nisi per conjecturam. Propterea si quid in sacris universè scriptum legamus, in medium proferemus, nihil nos præterea addituri.

Job 3. Conceptio Deiparæ benigno astrorum lumine fortunata.

Apoc. 12. Cælestia lumina vires contulerunt suas, ut Maria conciperetur munda.

Psal. 47. Pro Deiparâ Conceptiõ purissima, selectissima, splendidissima.

Symma.

551 Sanctus Jobus cap. 3. cum maculosæ conceptionis infortunia recenseret, stellas tenebris obductas memorat, neque Luciferum alluxisse, neque micantem auroram affulsisse, asserit. Et apponebat quidem Jobus obscuræ Conceptioni humanæ claræ Mariæ Conceptionem, benignissimo etiam astrorum lumine fortunatissimam, uti infra latè & accuratè expendimus in illustratione versus 9. & 10.

352 Joannes Apocalyp. 12. dum Conceptæ Virginis Mariæ pulcherrimam describit imaginem, sole illam amictam, lunâ soletam, stellas duodecim redimitam depingit. Nimirum cælestia lumina universas vires contulerunt, ut clarissima atque mundissima conciperetur: itaque duodecim signa caput sibi exornandum suscipere, sol universum corpus collustrandum, luna calcaneos, contra Draconis insidiantis astrum præmuniendos.

553 David Psal. 47. qui totus Marianus est, dum Conceptionem Virginis ex fundatione Davidicæ Civitatis celebrat. Fundatur, inquit, exultatione universæ terra Mons Sion, latera Aquilonis, Civitas Regis magni. De B. Virgine totum Psalm. intelligendum, argumento est, quod S. Ecclesia ejus verbis utitur in Festo Purificationis; nec non & Bernardus Sermone 2. de Assumptione, & Sanctus Antoninus 3. parte, titul. 31. c. 4. §. 1. Atqui contextus poscit ut eodem spectet tota Psalms structura. Igitur fundatio lætissima montis Sion primam Mariæ Conceptionem adumbravit. Emphasim habet Græcè illud, fundatur: quam Eusebius & Didymus ostendunt, reddentes: Bene fundatur. Item Chrysostomus: Bene signatur, seu firmatur. Pulchrè Symmachus, ἀπὸ ἀρχῆς ἀφορικμένω ὑψηλακματί: id est, à principio separato, secreto, selecto; certo splendore, ornamento, dignitate, & gratia. Itaque mystica hæc Urbs, Maria sanctissima ab ipsis jactis generationis fundamentis selectum nata est splendorem, singulare dignitatis ornamentum, distinctam ac separatam gratiam, quam aliarum generationum, & conceptionum primordia non viderunt. Recentiores doctissimi, Pagninus, Vatablus, Genebrardus, Campensis, Felix, & alii ex ipsis legunt ex Hebraica fonte, Pulcher climate mons Sion, &c. Sunt autem climata, inclinationes cæli; dicunturque κλίματα ἀπὸ τῶ ἀκμῆ; quod regio duobus intercepta parallelis certo spatio inclinet ad Polum, vel declinet ab Æquatore. Vide Vitruvium lib. 1. de Architect. cap. 1. Sacroboscum cum Clavio cap.

3. Sphæræ. Ergo sub optimo climate Civitas Dei fundata dum dicitur, Conceptio Mariana sub pulcherrimis cæli constellationibus patrata significatur. Non quod astra Providentiæ, aut arbitrio præjudicant, sed quod cælestibus influxibus, puris, benignis, suavibus, sacrosanctum corpusculum sic attemperaverint, ut castigatissimis motibus, ordinatissimisque propensionibus in ipsomet feminio instructissimum evaderet. Rectè Gerson 4. parte, Sermone de Conceptione, naturam inducit deliberantem de Conceptione Virginis ornanda. Natura accedit cum suis ancillis, quæ sunt influentia, & causa naturales, se offerens ad formationem hujus Dominae. Et post alia, ait Natura: Conferemus ei omnem delectationem, omnem sanctitatem, harmoniam, temperantiam complexionis.

Sub optimo climate Mariana civitas fundata.

Gerson.

554 Tradunt Astronomi, Constantinus in Libro de Cerebro, & ex eo Vincentius Tom. 1. Speculi cap. 49. omnium Planetarum vires, atque actiones subcessivis motionibus fortum experiri. Primò, Saturnum quidem semen utero receptum innata frigiditate, & siccitate cogere, exsiccare, condensare, retinereque fluidam foetus materiam. Secundò, Jovem temperato calore, atque humiditate geniturum fovere, dilatare, augere. Tertio, Martem vehementiori caloris, ac siccitatis æstu, superfluum humidum depasci, & absorbere, ut ad efformationem membra firmius, ac solidius aptentur, & expellantur. Quarto, Solem majori efficientiâ ossa excavare, atque corporis arterias, venas, meatuque omnes amplificare, atque infantis formationem perficere, & ad animam recipiendam pro congenita virtute disponere. Quintò, Venus attemperatis calore, & siccitate decorem, ac venustatem foetui conciliat. Sextò, Mercurius motus instrumenta expolit, quo agilior ad motiones reddatur: locutionis, & vocis organa distinguit, pulmonem, guttur, linguam excolit. Nonnulli Mercurium autumant esse Planetam prudentiæ, ratiocinationis, disciplinæ, & ingenii. Septimò, Luna copiosus foetui alimentum ministrat, humores, humidioresque partes, carnes, medullas, pinguedinem auget; superiorum astrorum vires excipit, atque cumulatis illas in prolem refundit. Angeli itaque, divinæ Providentiæ administri, sic cælestium orbium motiones attemperarunt pro Mariana Conceptione, ut unusquisque Planetæ propriam tunc domum, hoc est, proprium Zodiaci signum incoleret, ubi proprias maxime vires exercet: si Sol Leonem, Luna Cancrum, Mercurius Virginem, Venus Libram, vel Taurum; Mars Scorpionem, Jupiter Sagittarium, Saturnus Capricornum, vel Aquarium occuparent: neque alia signa ex diametro interim opponerentur, quæ illorum vires obrundant. Porro Planetas, ex Ægyptia doctrina, sub his signis fuisse à Deo conditos, testis est V. Beda lib. 4. e ordine Planetarum.

Omnium planetarum vires subcessivis motionibus foetus experitur.

Ab Angelis attemperata cælestium orbium motiones pro Mariano foetu.

555 Præterea, eadem providentiæ ratio persuadet duodecim Zodiaci signa ad eandem Conceptionem felicibus complendam aspectibus, viribus, influxibus, commixtis conspirasse. Cum enim sint quatuor elementa, ex quibus humanum corpus generatur; unumquodque autem elementum terna obtineat Zodiaci signa: Ignis

Duodecim signa Zodiaci ad Mariam conspirarunt Conceptionem felicissimam.

Ignis Arietem, Leonem, & Sagittarium, utpote ignea, id est, calida, & sicca: Aer Geminos, Libram, & Aquarium, utpote aërea, id est, calida, & humida: Aqua Cancrum, Scorpionem, ac Pisces, utpote aquea, nempe frigida, & humida: Terra Taurum, Virginem, & Capricornum, utpote terrea, id est, frigida, & sicca; necessum planè fuit, tria cujusque elementi signa proprias cælestes vires contēdisse, ut ea elementi pars, ignea, aërea, aquea, terrea, ex qua Mariæ corpus compingebatur, purissima, sanissima, pulcherrima evasisset.

Et cælestes imagines omnes.

556 Neque vel septem Planetæ, vel duodecim Zodiaci signa sanctissimum factum cælesti ornatu excoluisse contenti: accessere superiores omnes imagines, quas Asterismos insigniores 48. memorant Astrologi. Nimirum primus Arcturus, quod plaustrum dicimus cælesse, cælestibus onustum opibus, quas in Mariæ Conceptionem inveheret. Eius descriptionem dedit Sanctus Basilius in cap. 13. Isaia. Secundus Hercules cum Dracone colluctans, Herculeæ Heroïnæ cum Tartareo Dracone luctam præ se ferens. Tertius, Draco totus cælestis, stellas distinctus lucidissimas, qui cælestem conceptæ puellæ victoriam de stygio revectorum præluderet. Quarta, Corona ex novem compacta splendidissimis stellis, quæ victricis hujus Bellonæ capiti concinnata, Virginea ambitet tempora ornare. Quinta, Lyra totidem luminibus ad mirificum efformata conceptum, atque ad Epinicion Virgini candendum attemperata. Et alia, quæ præter Astrologos, Venerabilis Beda descripsit libello signis cæli; libet enim in re sacra factos nominare Doctores.

Deipara quasi altera Pandora omnibus donis exornata in sua Conceptione.

557 Dum hæc scribo, dum 12. Signa, dum 48. Imagines cælestes, dum 7. Planetas, Saturnum, Jovem, Martem, Mercurium, Solem, Lunam, Venerem; dum cælos certatim in Mariæ Conceptionem intentos video, ut ipsam cælesti felicitate cumularent; Deos Deaque omnes intueri video de recens creata Pandora, prima Muliere ornanda, collatis muneribus contententes: cui Pallas sapientiam, Venus formam, Apollo Musicem, Mercurius eloquentiam, alii alia: inde Pandora dicta, quali omnium donorum, vel omnium rerum genere donata. Post Hesiodum in lib. operum, & dierum, præter exteros, meminere Pandoræ Sanctus Irenæus lib. 2. cap. 19. & 37. Nazianzenus libello adversus mulieres sese ambitiosius ornantes, Fulgentius lib. 2. Mythologiae, Tertullianus lib. adversus Valentianos, cap. 12. & lib. de Corona militis cap. 7. ubi Pandoræ caput à Gratiis fuisse coronatum memorat. Non multa, unum Numen, non fabulosè, sed verè Mariæ Conceptionem omnibus donis exornavit, dum Cælos, Signa, Asterismos, Planetas sic disposuit, sic per administratos Angelos movendo temperavit, ut faultissimis aspectibus, lectissimis influxibus sanctissimam Conceptionem Deiparæ, quasi collatiis muneribus excoluerint.

Restota bellè illustratur ex sacris Litteris. Cant. 5. 14.

An igitur hac de causa, cum suum ipsa Regem describeret Cant. 5. inter alias amantissimi, ac beneficentissimi sponsi illustres notas, eam addidit vers. 14. Manus ejus tortilata aurea plena hyacinthis. Venter ejus eburneus distinctus sapphiris. Synecdochicè manus aureas dixit, pro operibus aureis, hoc est, perfectissimis. Tornatiles posuit: Hebraicè galile, quas sphaeras vertit R. Abraham. Ildeph. de Flores in Eccles.

ham Abeneyra, scilicet cælestes; nam sponsi cælestis opera cælestia sunt: id quod sequentia hæc explicant: plena hyacinthis, Hebraicè Tharsis, quas gemmas cælestis coloris docuit. Igitur ex unica sponsi opera cælestibus opibus confertissima esse ait sponsa Deipara. Quid enim aliud est, manus esse sphaeras ipsas cælestes? Quid Tharsis gemmis plenas, hoc est, lucidissimis stellis ornatas? Nomen his schematis sponsa sponsi opera, quibus ipsam condidit, conditam ornavit, cælestia esse intellexit? Quid enim aliud est, ejus opera esse Tharsis, nisi cælestibus donis, influxibus, effectibus benignissimis cumulata? Ad hæc, quod continenter subdit: Venter ejus eburneus distinctus sapphiris: pectus candidum, cor purum, ac sincerum expressit; idque dum sapphiris distinctum, zodiaco, hoc est, ipsismet 12. signis cælestibus cælarum asseruit. Unde Abeneyra vertit: Venter ejus cingulus Abeneyra medius, in quo sunt similitudines siderum. Quasi dicat sponsa: Quod opera ejus, quod ejus beneficia in me collata cælestia dixi, quod me cælestibus muneribus exultam ipsius manibus agnovi, ab ejus pectore amantissimo provenire intellexi, quasi à sublimi quodam Zodiaco.

Abeneyra

559 Neque ab eadem sententiæ explicatio longe absuit Chaldaeus Interpres, qui cum putaret his Cantorum verbis allusionem contineri ad Pectorale Summi Sacerdotis, in quo duodecim filiorum Israel nomina gemmis sculpta visebantur, addit: Qui similes erant duodecim signis cælestibus. Inde ergo à cælesti pectore cælestia opera, tornatilibus manibus expressa. Porro quod Rationale Sacerdotis Zodiaco 12. signis ornato contulit Chaldaeus, ab Abrahamo Abeneyra promovetur, asserente, illud in Astrolabii formam instructum fuisse, uti referunt Abulensis Exod. 28. quæst. 12. & Serarius lib. 1. in Josue cap. 9. quæst. 25. Est autem Astrolabium, seu Planisphaerium, ut Ptolomæus Astronomorum princeps vocat, perfectissima totius cæli imago, & effigies in plana superficie descripta, quam exhibuit elegantissimam insignis noster Mathematicus Christophorus Clavius ad finem lib. 2. Astrolabii. Ut ergo finiam, summus ille Pontifex noster, idem qui sponsus Ecclesiæ purissimus intimo pectore totam cæli rationem exactissimè descriptam habet, unde cælestes motiones, benignos aspectus summorum orbium, suavissimosque promit influxus, quos tornatili manu in sponsam effundat, sive Ecclesiam, sive potius Ecclesiæ formam Mariam, primariam ejus sponsam sanctissimam.

Rationale Hebraei Pontificis astrolabii formam habuit. Chaldaeus.

§. V.

Deipara, uti & Christus in Galilæa oppido Nazareth concepta: & quid inde pro immaculata ejus Conceptione.

Ametsi nonnulli existiment Mariæ Conceptionis locum fuisse Hierosolymam; communior, & gratior existimatio est, conceptam esse in Nazareth, tenui Provinciæ Galilææ oppido. Sic Rutilius lib. 6. de Jubileo cap. 3. Ac vide Greferum nostrum lib. 2. de sacris Peregrin. cap. 3. Idem videntur existimasse sancti Pontifices Julius II. & Paulus III. in Bullis, quibus superiorum Pontificum



Paulus III.

Pontificum privilegia sacrae aedi Lauretanae olim concessa confirmat. In iplo igitur diplomatis proemio, dum Paulus Julii privilegium referens commendat, sic ait: Recordanda memoriae Julius Papa II. praedecessor noster, attendens, quod non solum erat in die Ecclesia de Laureto imago ipsius B. Virginis Mariae, sed (ut pie creditur, & fama est) camera, seu Thalamus, ubi ipsa B. Virgo concepta, & educata, ubi ab Angelo salutata Salvatore seculorum concepit. Et caetera, quibus Julii ipsa verba recollit, ac probat. Vide Horatium Turfellinum nostrum lib. 2. Lauretanae Historiae c. 9. & lib. 3. c. 1. ubi utriusque Pontificis decreta dilaudat. Sed & ipsamet B. Virgo, (uti Annales memorant Illyrici a Hieronymo Angelita in Histo. Laure. relati) Alexandro Terfactensi Episcopo apparet, atque sacrae domus ex Galilaea illuc in Dalmatiam translatae rationem explicans, sic inquit: Sacram adem vestris nuper illatam finibus, illam ipsam esse domum, ubi ego olim genita, ubi ferme educata sum. Hic ego Archangelus Gabrielis nuncio, Spiritus sancti opera divinam concepti sobole. Hic Verbum caro factum est. Subscribunt huic opinationi multi alii scriptores.

Deipara Verba.

Galilaea etymologia exprobandur pro Mariana immunitate.

560 Ut verò nonnihil pro immaculato Virginis conceptu dicamus ex Galilaea, & Nazareth etymologia desumptum, observa in primis, eam esse Galilaea probabilioris interpretationem, ut quae Hebraico grammaticano affrictor, fontique similior, quae à verbo galal deducitur, & volvere significat. Inde Galilaeam Sanctus Hieronymus volubilem, voluntabilem, & rotam vertit lib. de Nomin. Hebrai. ex Ezechiele, & ex Luca, & Galilaeos significare putat volubiles, seu rotabiles, in explicat. Nomin. Hebraeor. ex Actis. Et Sanctus Gregorius Nyssenus Oratione 2. de Resurrect. ad finem vertit devolubilem ad instar rotae. D. Gaud. Brixienis Tract. 1. de lectione Evang. Galilaeam volubilem vel rotam dicit. Pagninus lib. Interpret. nomin. Hebra. tornatilis, aut volubilis. Bredembachius Matth. 4. ait Galilaeam ab orbe, seu rotunditate dictam. Et Matth. 28. idem repetit, asserens Galilaeam significare orbem. Tolerus noster ad cap. 1. Lucae Annot. 49. Galilaeam rotam, aut revolutionem significare putat.

Christi, & orbis Deipara concepitio ad instar rota volubilis & occisima, quae vix terram tangit. Isai. 53. 8.

S. Anselm.

Ezech. 1. 16.

561 Etenim in Galilaea Provincia, in orbe, seu rota, concipitur Deipara Virgo quasi volubilitate sua immaculatum conceptum, ac proinde inenarrabilem, portendat. Inprimis de humana Christi generatione, juxta multorum Patrum mentem, praedicebat Isaias cap. 53. 8. Generationem ejus quis enarrabit. Pro generationem, est Hebraice dor, quod apud Hebraeos dicitur à volubilitate, sphaerae, seu rotae revolutione; uti observat ibi Forerius, & ad cap. 38. Quasi Christi temporalis conceptio, seu generatio fuerit ad instar rotae volubilis, & occisimae. Haud dissimilis Mariae Conceptio. Utraque, ut rotae, vix terram tetigit, ac ne vix quidem: cum utraque sancta & caelestis fuerit, ac divini spiritus opus; nam in utero Matris à primordio conceptionis operante Spiritu sancto creabatur Deipara, ut aiebat Sanctus Anselmus lib. de Exor. mundanae salutis cap. 3. & 5. Ecce tibi rota in medio rotae, & super terram: spiritus enim vitae erat in rotis. Ezech. 1. 16. Et quod Sanctus Anastasius aiebat lib. 3. Versatus est Christus cum

proprio orbe, nempe Matre. Forsan hac de causa, uterque Mariae assimilatur lunae circulo, seu rotae: Umbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Cantic. 7. 2. Chaldaeus vertit: Sicut circulus lunae. Hebraea vox sabar significat lunam primam, atque rotundam. Qua Deiparae maternitas designatur; ob quam plena gratiae à puncto suae conceptionis. Subinde Sanctus Epiphanius Serm. de Virg. Laudibus: O uterum impollutum habentem circum calorum! o uterum, qui circum es septem circulis constans, & capaciore illis existis! & Jeremias aiebat cap. 31. 22. Creavit Dominus novum super terram: famina circumdabit virum. Certè ex multorum mente novum creandum est Deipara Virgo sancte concipienda: conceptio enim illius appellari solet à SS. Patribus creatio: à S. Isidoro in Mixtarabico Missali: ab illo creari ita est ab ipso concipi; ab Anselmo Episc. ad Angliae Episcopos: à Sancto Bernardo Serm. de B. Maria: à Proclo in Homil. de Christi Nativitate, & ab aliis; & jure optime creatio appellatur, quia ita fuit à peccato originis libera, ut ex Parentibus minime suscepta & genita videatur, sed à Deo primùm creata, & condita; propterea quòd Christum sacris suis visceribus esset conclusura; ut sic rota esset in medio rotae: Deus nempe in medio Matris Dei: ad significandam enim Matris Dei dignitatem utitur Jeremias Verbo circumdabit: quia omnis circularis circumscriptio, circulus, seu rota, quatenus caret initio, atque fine, infinitatem quamdam praese fert, Haec cursum.

562 Alteram Galilaea etymologiam commendatam reperio apud S. Isidorum lib. 14. Orig. cap. 3. Hugo. Victor. Tom. 2. lib. 3. Exception. Prio. cap. 2. Vincentium in speculo Historiali lib. 1. cap. 67. Bartholom. Anglicum lib. 15. de proprietatibus rerum cap. 63. & Puente lib. 4. convenientia utriusque Monarchiae cap. 7. §. 1. Dicentes Galilaeam dictam, quia homines candidos gignit. Etymologia haec Graeca est à voce γαλα, id est, lac, & Verbo γαλακίζω id est, candesco lactis instar. Igitur juxta horum placitum, Galilaea quasi lactea; seu candida dicta est: non quia omnes in universum Galilaei caeteris Palaestinis candidiores essent; nam id minime constat; sed utique arcano mysterio, quòd nempe in ea Provincia concipiendi essent Jesus, atque ejus Mater candidiores nive, nitidiores lacte. Jerem. Thren. 4. 7. De Virgine signatim sic scribit Sanctus Gregorius Neoclaudianus Serm. 2. in Annuntiationem: Tu sancta omni humana natura gloriosior, ac purior, sanctiorque effecta es, ac nive quidem candidiorem habens mentem. Hinc sponsus sic Deiparam affatur Cantic. 4. 8. Veni de Libano sponsa mea, veni de libano. A nive puritate eam vocat ad nuptialem celebritatem. Libanus enim à nive, qua celsissimus montis vertex semper albescit, dictus est, ut notat Sanctus Hieronymus ad cap. 18. Jeremiae vers. 14. Simili certè candore, niveaque puritate Maria semper candidans, semper pura significatur fuisse, cum à Libano traducitur. Unde Honorius ibi: Veni de Libano, scilicet à candore vitae nimio. Et Sanctus Bernard. super salve Regina cap. 4. Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam pra omnibus significat innocentiam tuam; in vocens fuisti ab originalibus, & actualibus peccatis. In Aethiopia nun-

Christi rosa seu orbis Deipara. Cantic. 7. 2.

700

Deipara uterum in se rotam habentem, septem constans circulis. S. Epiphanius. Serm. 31. 22.

Maternitas Deiparae infinita à sua Conceptione.

Rosa in medio rota Christi in utero Virginis.

Altera Galilaea etymologia.

Thren. 4. 7. Candida, lactea, niveaque Deipara à suis Conceptione. S. Gregor. Cantic. 4. 8.

Honorius. S. Bernard.

nunquam nixisse, testatur Franciscus Alvarezius lib. de rebus Aethiopicis cap. 159. An ob caeli aestum, an purissimus nivis candor Aethiopicum dedignetur arrorem? longè mirum à nigritie culpae tantae abesse debuit tanta Virginis puritas. Neque enim abs re, uti paradoxum, proverbiali cachinno nivem atram risit antiquitas.

Cantic. 2. 10. Deipara columba alba, nivea, lactea, in sua Conceptione. Tibull.

Psal. 67. 14.

Sophroni.

Nutrita à Deo Maria divino lacte.

Prov. 8. 30. IDN

Chalda.

Sada, id est, Deus uberum. Clem. Alexandr. S. Damian.

Etymologia Nazareth immunitatem illustrat Marianam. 713

563 Huc etiam spectant illa Canticorum verba cap. 2. vers. 10. & 14. ubi semel, & iterum appellatur Deipara, columba Dei. Certum sit, sermonem esse de alba columba, quae tanto pretio apud Palaestinos fuit, teste Tibullo.

Quid referat ut voluit crebras intacta per urbes Alba Palaestina sancta columba suo.

Ut verò istiusmodi columbarum candor commendetur, lacte lota dicuntur Cantic. 5. 12. id est, tam candidae, ac si forent plenae lactis, ejusque colore totae tinctae, & imbutae. Unde Psalm. 67. 14. Penna columbae deargentatae dicuntur, hoc est, candidissimae instar argenti purissimi. Virgo igitur columba appellatur alba, adeò munda, pura, candidaque, ac si esset lacte imbuta, aut cooperta nive.

Ideò de Libano evocatur. Audi Sophronium in Homil. de Assumptione. De Maria Salomon in Canticis quasi in ejus laudem: Veni, inquit, columba mea, immaculata mea, &c. ac deinde dicit: Veni de Libano, coronaberis. Non immerito ergo de Libano venire jubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candida B. Virgo multis meritum virtutibus, ac dealbata nive candidior, multis spiritus sancti numeribus, simplicitatem columbae in omnibus representans: quia quidquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum gratia, & veritas fuit, & ideo immaculata, quia in nullo corrupta. Sapienter, & luculenter explicuit, quid sit, de libano vocari Deiparam uti candidam lacteamque columbam. Et quid hoc mirum? siquidem ipsa à Deo ipso, quasi à nutritio suo, fuit divino lacte nutrita juxta illud Proverb. 8. 30. Cum eo eram cuncta componens. Ubi pro componens, est Hebraice amon, à radice aman, id est, fidelem esse, emutire, educare instar nutriti, vel nutricis. Unde Chaldaeus effert: In latere ejus eram quasi nutrita: vox enim originalis active, & passive accipi potest. Penes ipsum Deum fidelissimum erat ipsa Virgo quasi ejus lacte nutrita. Deus enim Sada, dicitur in sacris litteris, id est, Deus uberum, seu mammillarum. Et Verbum divinum à Clemente Alexand. 1. Praedag. cap. 6. appellatur Cibus, nutrimentum, & lac. Lacte hoc divinae gratiae B. Virgo, vel à puncto suae conceptionis, educata in candorem lucis aeternae conversa est; ut loquitur Sanctus Petrus Damianus Serm. de Assumptione.

564 Jam verò, si Nazareth etymologiam disquiramus, Sanctus Hieronymus de nomini. Hebraicis in Matthaeum, putat Nazareth munditiam interpretari. Affine hoc est communiori illorum existimationi, putantium Nazareth significare separatam, sanctificatam, consecratam, coronatam, à verbo nazaz, quod est separare, sanctificare, consecrare, coronare. Si autem per isade scribarur, custodita, vel florida interpretatur, à nesar, id est, flos, seu ramus: unde Naisareus seu Naisarus, id est, floridus. Praedicebatur hoc nomen P. Ildelph. de Flores in Eccles.

ne, Maria in Nazareth concipienda mundissima, ut sancta, ut consecrata, ut separata, seu segregata à peccatoribus, ut custodita à Deo, ut florida, ut flos lacteus, non dissimili ratione ac ejus filius. Hinc Andrae. Cretenensis Serm. de Annunt. reddens rationem cur Maria in Nazareth degerit: Quo gratissimum Virginitatis decus, veluti rosam suave olentem ex loco spinoso sibi Omnipotens eligeret. Et Bonifacius IX. Constitut. 1. In Nazareth Virgo Regia venustissima à Domino conservata, flos sanctitatis, vas caelestis gratiae mundissimum, omnium virtutum floribus redimita, cujus pulchritudinem sol, & luna mirantur. Fortasse eò adlusit Salomon Cantic. 2. 1. tibi sponsus meus; Ego flos campi, & lilium convallium, nempe Galilaeorum. Et continenter Mariana conceptionis locum adjungit: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quasi mirum fuerit utrumque, talem florem iis in campis germinasse, tale lilium inter spinas eodem loco esoruisse. Et quidem ab utraque conceptione florentissima, propheticum praetulisse nomen Nazareth, id est, floridam, quis vetet putasse?

565 Sed haec Canticorum verba paulò accuratius expendamus pro immunitate Mariana. Lilio inter spinas assimilatur Virgo. Rosam interpretantur non pauci, quòd haec inter spinas nascatur: atque hac similitudine Mariam ab originali vitio immunem designari docent. Vide sis Sedulium Poëtam, & Patrem antiquissimum lib. 2. Operis Paschalis, Mantuanum lib. 1. Parthenices primae, Nicolaum Casanum Cardinalem ante 200. ferme annos Tom. 2. lib. 8. exercitationum. Quemadmodum enim Rosa nascitur inter spinas, ipsa tamen spinis carens; ita Deipara nata est inter sceminas originali peccato concepta, tanquam rosa inter spinas; ipsa tamen ejusdem peccati experta. Unum accipe Adamum Victorinum Bernardum ferè coevum in Assumptionem Virginis.

Salve Verbi sacrae Parens, Flos de spinis spina carens; Flos spineti gloria; Nos spinetum, nos peccati Spina sumus cruentati; Sed tu spinae nescia.

566 Praeferenda tamen est Vulgati haec lectio: Sicut lilium inter spinas; in qua non Rosa canitur, sed lilium, quod Hebraeis est Safana, nobis Hispanis Azucena: quae candidissimus, ac veluti lacteus flos est; unde ex lacte Junonis procreatus fingitur. Caeterum illud Interpretibus negotium facescit, quòd is flos inter spinas esse dicatur, cum tamen lilium inter spinas non proveniat. Respondent nonnulli, non ideo Lilium inter spinas appellari, quòd in spineto nascatur; sed quòd spinis collatum, pulcherrimum sit: indeque commendari Deiparam quòd aliis sceminis composita, formosior sit sponso visa. Sed, ut verum fatear, tepidior haec, languidiorque mihi semper visa est explicatio, quae de sola forma inter lilium, & spinas contentionem esse dicit: Egregia verò decantatissimi lili comendatio non est, si carduis, si sentibus, si spinis conferatur, pulchritudine illis, ac suavitate praestet. Equidem non arbitror eximiam eam laudem esse, qua obscuris, illaudatissime praecellere dicaris, sed qua clarissimum quemque superasse. Nec magni profectò se facta putasset Nympha, si ignobiles, si deformes puellas, N 3 for-

Andr. Cretenf. Bonifa. IX.

Cantic. 2. 1.

Maria Rosa inter spinas qua ratione.

Adamus Victorinus.

Lilium inter spinas Mariana quomodo.